

Ubi iam vigent et usu adhiberi solent perficiantur et diligentius frequententur.

II. — Exoptamus ut sacerdotes prorsus omnes iis intersint, sed qui curam gerunt animarum adesse omnino tenentur, nisi ob graves causas ab Episcopo fuerint dispensati. Neque exemptum volumus ullum ex iis qui fidelium confessiones excipiunt, etiamsi certae ecclesiae non sint adscripti. Puniantur autem ab Episcopo qui saepius abfuerint absque legitimo impedimento et Ordinarii venia.

III. — Sicubi ob aeris intemperiem, viarum asperitatem, aut parvum sacerdotum numerum, aliquis collationem adire non valeat, debet quaestiones assignatas et in coetu discutiendas, scripto revolvere et ad curiam episcopalem fideliter mittere.

IV. — Themata e theologia morali et liturgia petita, de quibus disserendum erit, ineunte quovis anno ab Antistite proponentur. Quod commodissime fieret in calce libelli quotannis edi soliti, cui inscriptio: Ordo divini officii.

V. — In civitate dioeceseos praecipua bis singulis mensibus, in ruralibus parochiis vero semel conferentiae habeantur « Casus conscientiae solutio ab omnibus, qui coetui adesse debent exaretur.

VI. — Ii qui designati fuerint ut de subiecto argumento disceptent, sententias suas diligenter elaboratas, et in corona fratrum examinatas, perferendas curabunt ad Praesidem conferentiarum: hic autem singulorum scripta accurate expendet, ac prout expedierit, emendabit atque ita correctas suis auctoribus opportune remittet.

VII. — Vicarii foranei clericos suos tempestive ad collationem convocabunt, moderabuntur concertationem

eamque sua doctrina, pietate, mansuetudine, ac prudentia tueri atque augere conabuntur. Idem statutorum observationi sedulo invigilent.

VIII. — Ut saluberrimum illud scientiae promovendae et zeli pastoralis nutriendi subsidium omnibus reapse prosit, procul amandentur aemulatio, contentio, superbia ingenii aut eloquentiae ostentatio. Singuli singulos tranquille et toleranter audiant, alternis vicibus sua sensa exponant, cunctaque pacifice ad communem utilitatem dirigant. Nemo interpolatis sermonibus aut quaestionibus vanis disceptationem perturbet.

IX. — Reliquum est ut unusquisque Episcopus, pro cleri et locorum adiunctis, cetera opportune provideat, et quo fructus maior ex conferentiis colligatur, eis stabilem ac certam normam constituat, eam methodum prae oculis habendo quam Ben. XIII a Romano clero servari praecepit. (Conc. Rom. tit. xv, cap. 9).

#### TITULUS IX.

##### DE SEMINARIIS.

Ex unanimi Patrum sententia, si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est; ideoque nulla Praesulum opera utilior esse potest quam institutio cleri, in qua non christianae tantum, sed etiam civilis reipublicae salus maxime consistit.

Numquam omisit Ecclesia futuros altaris ministros, mature a saeculi blandimentis segregare, sinu suo materno fovere et alere ad omne decus pietatis ac scientiae. Verumtamen haec nostra luctuosa aetas, sicut in presbyteris admodum plura virtutum ornamenta postu-

lat, ita et in excolendis sacri ordinis candidatis, flagitat diligentiam longe maiorem. Qua rerum conditione plane intellecta, pervigil gregis catholici pastor Leo XIII, in pluribus quas Deo afflante edidit litteris et constitutionibus, iterum docuit Antistites, in hoc maximam partem laborum et vigiliarum consumere, ut seminaria rite stabiliantur, et congruenter temporibus floreant.

Idem sanxit quum duobus ab hinc annis in carissima sibi Ditione Mexicana tres novas circumscrisit provincias ecclesiasticas, et quinque erexit dioeceses. « Quoniam maximopere interest ut, tamquam olivae fructiferae in Christi Domini agris, constanter pro unaquaque dioecesi probi doctique parentur presbyteri, operam accurate navaturi tum divinis et ecclesiasticis officiis, tum animarum aedificationi aeternaeque illarum saluti, iubemus idcirco quod in unaquaque dioecesi episcopale erigatur seminarium in quo excipiantur et instituantur, iuxta Tridentinae Synodi praescripta, ii adolescentes quos Episcopi ex propriae dioecesis utilitate vel necessitate admittendos esse censuerint » (Bulla *Illud in primis*, 23 Iun. 1891).

Quod mandatum grato corde et promptissima ad parendum voluntate suscipimus, idem pro virili parte executuri. Gaudemus quidem, et ipsi nobis gratulamur, hac iam pridem conditione fuisse clericalia contubernia, quorum fama inter nostrates viget illustris et pristinae laudes omnium memoria celebrantur. Sed quo sacrae illae palestrae, et alia in ecclesia Tehuantepecensi quam primum erigenda, fructus ferant laetiores, praecipimus ut cuncta earum institutio et regimen normis Tridentinis ac Sanctae Sedis placitis perpetuo innitatur.

Ad id assequendum, quisque Praesul constitutiones

recognoscet, vel si opus sit, novas promulgandas curabit, et quidem uniformi ratione. Valde enim optandum est ut, saltem quoad substantiam, in omnibus seminariis nostris eadem servetur studiorum ratio, eadem auctorum sint compendia in scholis adhibita, eadem ratio officiorum ac munerum, una quoque religiosae vitae institutio et universa disciplina. Qua de re, statis temporibus, inter se coibunt Metropolita et Suffraganei Episcopi, communi consilio deliberaturi quid in Collegiorum regulis emendandum sit aut perficiendum (Epist. SS. D. N. Leonis XIII *ad Ordinarios imperii Austriaci*, 3 Mart. 1891).

Interim tamen huic Synodo Antequerensi visum est nonnulla singillatim decernere, quae impenso studio praecipit servari ubi vigeant, alibi vero ad opus deduci. Alia spectant ad collegium in quo edocentur facultates inferiores, alia ad domum ubi altiores disciplinae traduntur, sive seorsim existant, sive conflentur in unum. Porro nihil impedit quominus seminarium in « *Parvum* » et « *Magnum* » dividatur. Ubi vero in dioecesi quadam plures domus clericis excipiendis aperiuntur, reliquae omnes subsint oportet illi quae extat in civitate episcopali.

#### CAPUT I.

##### DE COLLEGIIS MIXTIS ET DE SEMINARIIS TRIDENTINIS.

#### § I.

##### *De Collegiis mixtis.*

I. — Ex consultissimo Tridentini decreto (Sess. XXIII, c. 18 *Reform.*) de adolescentibus ad clericatum praeparandis, luculenter apparet quam iustis de causis,

quotquot fere postea celebratae sunt Synodi, hoc vehementer contenderint, seminarium minus seu puerorum nequaquam habendum esse uti commune et mixtum gymnasium, in quo tam saecularis quam clericalis iuventus promiscue crescat et erudiatur; sed uti domum vere religiosam, ubi omnia et singula ad unicum sacerdotalis educationis propositum collineentur. Cuius fores iis tantum pateant « quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros » (Trid. loco citato).

II. — Plurimum sane abest ut laicales iuvenes deserendos existimemus. Contra, eis quoque lycea aperire summo nisu conabimur, per quae optima institutio litteraria cum germana fidei morumque doctrina coniungatur, conservetur illa quam a maioribus nostris accepimus maxima haereditas, nimirum, fidei catholicae incolumitas; et, quod est in tanta praesertim sententiarum actionumque licentia maxime necessarium, bona civium soboles reipublicae educatur. (Encycl. Leonis XIII ad Episc. Angliae, *Spectata fides*, 27 Novembr. 1885).

III. — Verum interest collegia huiusmodi distincta manere a seminariis ac prorsus separata: quippe, ubi sacrae militiae tyrones cum aliis pueris permixti sunt qui de sacerdotio amplectendo minime cogitant, vix impediri poterit quin spiritus mundanus totam domum sensim penetret eique dominetur. « Experientia docet multorum vocationes, quamvis ab initio satis firmas, fuisse ex hoc consortio labefactatas, ac demum omnino corruisse. Sed etiam in eos qui perseverant, infunditur aliquando saecularium rerum nimia cupiditas, quae zelum Dei et animarum imminuunt, et a studiis sacris ad leviora abducunt » (Conc. Westmonasteriense III,

tit. II, decr. 14). Hinc causa nascitur cur adolescentuli quos Dominus in sortem suam vocavit, seorsim in seminario sint instituendi.

IV. — Quod si alicubi, pro magistrorum paucitate, tenuitate bonorum aliisque adiunctis collegia pure ecclesiastica sustentari in praesenti omnino nequeant, indulgendum videtur ut gymnasia mixta ad tempus tolerantur. At simul nihil intentatum relinquendum est, quo ingenua clericalium puerorum aetate a saeculari conversatione tuta custodiatur.

V. — Quamobrem ii soli tanquam contubernales in collegio degent; quoad reliquos, licet easdem classes adeant, suam quisque domum habitabit. Aut, si laicales etiam iuvenes intra seminarii septa alendi videantur, continendi saltem erunt in parte aedium seiuncta.

VI. — Communis vitae ratio, pro utroque alumnorum genere, ita temperabitur, ut tum mentis cultura praestantissima sit, tum subsidia et adiumenta abundant quibus solida pietas enutritur. At praeterea, iis qui ad sacerdotium aspirant, educatio peculiaris, eaque clericis efformandis aptissima, providebitur. Propriis itaque instruendi sunt legibus, propriis etiam moderatoribus, quamvis enim posset illorum cura ordinariis confessariis demandari, placet unum praefici directorem, qui mentes adhuc immaturas et ad bonum flexibiles, omni virtute imbuat ac sensu rerum divinarum magis exquisito, ut sacerdotalis professionis studium et habitudinem induant.

VII. — Attamen nec haec quidem institutio disertissimae legi tridentinae plane satisfacit, ac nemo non videt religionis augmento summopere profuturum, si pueris, qui in spem Ecclesiae adulescunt, vera semi-

naria dioecesana aperiatur, ubi tamquam novellae plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini, seorsum et procul a saeculo ad ecclesiasticum spiritum conformentur (Encycl. Pii IX ad *Episc. Italiae*, 8 Dec. 1849). In hoc itaque, invicto a difficultatibus animo connitentur Episcopi, ut illa sacerdotii incunabula partim erigantur ubi desint, partim in aptiorem formam redigantur. Quibus omnibus hasce leges praestituendas esse in Domino censemus.

§ II.

*De alumni in Seminarium  
puerorum admittendis ac de vocationum penuria.*

Quoniam tales fructus ex seminariis percipi solent quales pueri fuerint qui admittantur (S. Carolus Borromaeus, *Institutiones Seminarii*, part. 1), delectus in suscipiendis alumni diligens sit et admodum accuratus.

I. — Tridentina Synodus pauperum filios praecipue vult eligi, quin tamen admittantur mendici aut pueri ex plebe, ditioribus tamen minime repulsis: imo sollicitè agendum est ut hi quoque accedant, dummodo indicia vocationis praeseferant et suis expensis alantur. Qui collegii sumptibus sustentandi sunt, non infra duodecim aetatis annum recipientur, in aliis sufficit quaevis aetas, sed omnino oportet ut sint nati de legitimo matrimonio. Porro quicumque fraudolenter loca gratuita, ex foundationis lege aut pia foundatione instituta occupant, si de castris Ecclesiae redeant sine Episcopi venia ad vitam saecularem, sciant ad restitutionem teneri.

II. — Praeter animum sese muneribus sacris mancipandi, requiriturabilitas quaedam ad studia litterarum. Experimento igitur examinis facto perspiciatur

quidnam quisque ingenio consequi valeat. Sed multo magis spectanda est candidati indoles atque honestas quam eruditio aut mentis acumen; cavendo ne unius perversitas ea cito in discrimen adducat quae multorum in virtute profectus magno labore aedificaverat. Inde liquet, serio explorandam esse puerorum pietatem, vitae innocentiam, ac totam agendi rationem.

III. — Maximi momenti est de parentum etiam moribus et conditione exquirere sententiam non parochi tantum sed et aliorum testium probatorum, qui investigent num forte consanguinei, humana lucra aut commoda ambientes, iuvenem ineptum vel a Deo non vocatum seminario intrudere velint; et universim cautio sit ne sacerdotium veluti levandae egestatis subsidium a quopiam exspectetur.

IV. — Infauste accidit quod pueri sacrae militiae prorsus idonei, pauciori numero sese offerant, et catholica nostra iuventus, ea praesertim, quae bonis fortunae pollet, lenta est ad capessendam Domini haereditatem. Nos autem qui speculatores dati sumus domui Israël, videmus et deflemus, id nonnumquam vitio fieri parentum: scilicet in prole instituenda non ea collocatur diligentia quae par est, et quod magis dolendum, pueruli interdum domesticis exemplis aguntur transversi. Insuper « inimicus religioni saeculi genius, rarior et frigidior sacramentorum frequentatio, illicia mundi adolescentulos quosdam iam in tenera aetate ab atrio Domini retrahunt » (Conc. Colocense, tit. iv, c. 3). Ex quo fit ut crescentibus huiusce provinciae necessitatibus, copia sacerdotum nullatenus respondeat, et messis cum multa sit, deficiant operarii.

V. — Ut lugendae, qua nunc laboramus, adiutorum inopiae occurratur, placuit his uti praesidiis:

Imprimis parentes instanter doceantur colere domesticam pietatem, natos ad virtutem singulari studio informare, et quoties in liberis signa supernae vocationis deprehendunt, prima haec semina excolere atque fovere. Graviter delinqueret paterfamilias sive puerum ad Sanctuarii limina invitum compelleret, sive coelitus invitatum ob humanas rationes deterreret.

VI. — Vehementer hortamur parochos et ludimagistros ut ex pueris ipsorum curae commissis, eos seligant quos, morum ingenuitate conspicuos et clericali tyrocinio aptos existimaverint. Egregie de christiano nomine merebuntur clerici, qui huiusmodi adolescentulos dignoscere atque a periculis undique impendentibus defendere satagent, eosque litterarum rudimentis imbutos, consilio, adhortatione, propriis etiam pecuniis adiuvabunt ad studia in seminario prosequenda. « Quo amplius leviticam istam tribum multiplicabunt, eo iucundius praestabunt obsequium et Ecclesiae magnificabunt laetitiam » (Conc. Strigon. a. 1858, tit. v).

VII. — Rogandi sunt viri laici divitiis pollentes et in rem catholicam praeclare animati, ut aliquam pecuniae vim perlibenter tribuant, quo seminaria, congrua dote instructa, maiorem in dies numerum puerorum melioris spei nulla vel modica soluta pensione possit sustentare (Pius IX Encycl. *Singulari quidem, ad episc. imperii Austriaci*, 17 Martii 1856).

VIII. — Denique Episcopi curabunt nihil omittere eorum quae pro tempore fieri licet ad opus illud, in quo spes magna est salutis et pignus prosperitatis, in omnes partes alacriter urgendum.

§ III.

*De disciplinis in seminario minori tradendis.*

Studiorum curriculum ad septennium extendi poterit; at numquam angustiori spatio quam quinque annorum circumscribatur: inter quos accommodate distribuentur omnes illae humanitatis artes, quae ad excolendos pueros ac iuvenes in solidae eruditionis primordiis, pro captu ingenii et aetate sua, utiles videantur. Incipiendum erit a primis grammaticae rudimentis, quorum diserte meminit praescriptio Tridentina.

I. — Christianae religionis documenta in omnibus classibus tradentur, adiectis pro scholae gradu explanationibus gradatim amplioribus. Feratur autem peculiariter magistri intentio ad demonstranda fidei nostrae fundamenta, eademque ab irrupentium errorum impetu vindicanda.

II. — Sermonis patrii seu hispani puritatem et elegantiam summopere sibi commendatam existiment praeceptores, easque severe a discipulis exigant. Hi linguas quoque anglicam et gallicam addiscant, nec solum in legendo assidue exerceantur, verum etiam in loquendo. Linguae autem latinae, quae Ecclesiae propria est, curam tribuent praecipuam, adeo ut eam omnes et recte pronuntiare et emendate scribere, mature incipiant.

III. — Germana dicendi scribendique concinnitas haurienda est tum ex sapientissimis Sanctorum Patrum libris, tum ex clarissimis ethnicis auctoribus omni labe purgatis (Pius IX Encycl. *Ad episc. Galliae*, 21 Martii 1853, *Inter multiplices*). Decerpi etiam aliquid

poterit ex mexicanis poetis qui latini carminis laude floruerunt. At maxime Catechismum Romanum, librum vere aureum, non minus styli elegantia quam ubertate doctrinae, manibus versabunt proveciores alumni, ut legendo et vertendo, in religionis scientia simul et in sermone latino magis proficiant, iamque ab in-eunte aetate egregium hoc opus aestimare assuescant. (Concil. Prov. Burdigalense, a. 1868 et Urbinat. a. 1859).

IV. — Non desit gymnasium linguae graecae; quod tum ad alia tum ad intelligendum Novum Testamentum graece exaratum, valde proderit.

V. — Peculiaris solertia impendatur arti oratoriae, ceterisque ad rethoricam pertinentibus; in iisque exercitationibus instituatur alumni ad dicendi genus quod neque incultum sit neque inflatum, sed simplex, perspicuum et gravitate praestans.

VI. — Quo pueri in bonos cives crescant, oportet ut soli natalis amor in eorum animis altas agat radices. Quapropter gentis nostrae historiam ac praeclara gesta noverint ac memoriae mandent. Exterarum quoque nationum fasti per summa capita explicabuntur, et quia innumerae passimque vulgatissimae calumniae ex depravata historia in Ecclesiam adornatae fuere, plurimum conducit ut iuvenes adversus commenta illa veritatis expositione muniantur (Concil. Vienne, a. 1858, tit. II, c. 1). Geografiae etiam aliquantum temporis impendantur, illi maxime quae in mexicana regione describenda versatur.

VII. — Ut iam ad maiora gradum faciamus, per tres aut certe duos annos colantur disciplinae philosophicae, mathematicae scilicet in quantum haec annis praecedentibus nondum sufficienter explicatae fuerint

uti saepe fit utiliter; et eae quae agunt de naturae eiusque virium exploratione.

Quam operam eo vel magis necessariam ducimus, quod profanae culturae fautores, sub scientiarum velamento immanes errores in medium proferunt; immo, « ut mysticam sponsam Christi, qui lux vera est in contemptum et invidiam vocarent, tenebrarum filii consuevere eam compellere obscuritatis amicam, altricem ignorantiae scientiarum lumini et progressui infensam. Quae primis ab exordiis Ecclesia gessit et docuit homines, ea satis coarguunt turpis mendacii impudentiam » (Leo XIII, Motu proprio de Vaticana specula astronomica, 14 Martii 1891). Sed eidem criminationi repellendae adlaborare debent Ecclesiae filii, presbyteri et seminariorum alumni: hi quidem eiusmodi studiis sedulam ac diuturnam operam navando.

VIII. — Algebram, geometriam ac trigonometriam, quae ratiocinandi vim apprime acuunt, opportune assequantur, quibus addatur ars conficiendi tabulas accepti et expensi (*teneduria de libros*) eatenus ut futuri in administrandis bonis temporalibus codices rationum apposite redigere sciant (Concil. Baltim. III, tit. v, c. 1).

IX. — Physicae et chimicae, itidem geologiae, historiae naturalis et astronomiae rudimenta attingant, ea saltem quae virum liberaliter institutum nescire dedecet. Ad quas facultates plenius percipiendas si quis et propensionem et ingenii docilitatem praebet, is omni ope iuvabitur ut in iis valeat excellere. Cum autem illae disciplinae maiora in dies incrementa capiant, nitatur magister praelectiones suas progressui scientiarum prudenter accommodare: in quibus tamen non solum fugiet dubias novitates, et quamlibet ratio-

nalismi speciem abhorrebit, verum etiam ea ratione cuncta tractabit, ut invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciantur.

X. — Philosophia omnino principem locum teneat, et in ea pertractanda faciem praeferat Doctor Angelicus, tot Pontificum et Conciliorum testimonio laudatus, tot saeculorum felici experientia comprobatus; cuius uberrima et invicta doctrina, cum apparata sit principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates mire apta est, atque ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata; cuius immortale decus sapientissimus Pontifex Leo XIII novi accessione honoris cumulavit, quum illum scholarum catholicarum patronum providentissimo consilio cooptaret. (Encycl. *Cum hoc sit* 4 Aug. 1880. — Encycl. *Aeternis patris*. — Encycl. *Cognito nobis* 15 Ianuarii 1882).

XI. — Iis itaque vestigiis penitus insistendum est. Sed quoad eas interpretationes et sententias quas praecleari viri ac celebriores academiae, doctrinam D. Thomae sincere professae, utrinque disserere et sine fidei sanaeque sapientiae iactura ultro citroque agitare consueverunt, ab Episcopo exquiratur quasnam opiniones malit in seminario propugnatas.

XII. — Abs re non erit methodo scholasticae perpetuo inhaerere, quippe quae ad mentem perficiendam, ad exponendam nitide veritatem, dignoscenda sophismata quam plurimum inservit. In argumentando ne sinantur alumni a severa forma deflectere aut ignorare usu traditos loquendi modos, postea in studiis theologicis saepius usurpandos. Omnibus exemplo sit proprietas sermonis perspicuitas et pressa disserendi ratio quae in Aquinatis voluminibus praelucet.

XIII. — Bis saltem in hebdomada concertationes fiant in quibus unus alterve ex discipulis conclusiones aliquot, obiicientibus aliis, declarent ac tueantur. Interdum actus quidam solemniores, externorum virorum conventu celebrabuntur; et exeunte cursu, deligantur nonnulli qui de universa philosophia publice disputent.

XIV. — Demum hoc officii sui ducat esse magister, ut auditores ad theologiam praeparentur, ac simul communiantur armis veritatis adversus commenta veterum, multo autem magis adversus aevi praesentis opinionum deliramenta.

XV. — Praeter disciplinas ante dictas, succisivis horis impertiri poterunt musicae, peritiae graphice scribendi et si quae sunt aliae artes amoeniores. Sed potissimum ea coli incipiant quae clericales functiones attingunt, nempe cantus ecclesiasticus, sacrae caerimoniae ac huiusmodi reliqua.

§ IV.

*Monita de studiis ordinandis ac moderandis.*

I. — Libri et commentarii ex quibus disciplinae hauriantur, circumspicte sunt recognoscendi: quia nefarii errores ac pessima praeiudicia saepe iis etiam operibus insident quorum argumentum a rebus religiosis alienissimum videbatur. Quocirca provinciam deligendi, expurgandi vel etiam conscribendi compendia, seminarii scholis destinata, committat Episcopus viris non minus prudentia quam eruditione conspicuis. Neque liceat aliis auctoribus uti, quam rite examinatis.

II. — Quoniam tot tamque variarum facultatum curriculum nec potest felici gressu decurri nisi omnia maturo consilio ordinentur, moderatores explicitum stu-